

MIMICES ET PHYSIOGNOMICES

FRAGMENTUM PHYSIOLOGICUM.

QUOD

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE
PRO VENIA DOCENDI RITE IMPETRANDA

A. D. XXVIII. M. IUL. MDCCCXXI

PUBLICICE DEFENDIT

AUCTOR

A E M I L I U S H U S C H K E ,

MED. ET CHIR. DOCTOR.


I E N A E

PROSTAT IN LIBRARIA GROECKERIA

I N C O M M I S S I S

Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum
et gestum.

Cic. de Orat. Lib. III.



P R A E F A T I O.

Etiamfi multum de erroribus Physiognomices disputatum fit, tamen nostris temporibus vix unus erit, qui naturae peritus illi veteri adagio: Fronti nulla fides, plus momenti et fidei, quam cuique alii exceptioni tribuendum putet, et millia aliorum opponuntur. Physiognomices omnium temporum et multorum populorum vestigia, historicum documentum, instinctum hominis argumentum innatum exstat, et, si scientia rationes horum phaenomenorum reddit, ratio ipsa, ille Scepticus, deductionem et causas affectans contenta quaestiones non amplius movet. Quae Lavatero et aliis ad *formam* ipsam faciei, quae porro Engelio ad *motum* dispiciendum reperire per acumen ingenii et multas observationes contigit, hucusque tantummodo empirice collata et composita prostant; deficient enim altiores, cur hic vel ille animi motus et mentis facultas non modo certo et immutabili motu sed etiam facie exprimat, rationes. Quae ut reperiantur, tantummodo altior Physiologia prodest, et hac solum scientiâ leges, quibus innituntur haec phaenomena, inveniri possunt. Illae observationes empiricae necesse est, ut ad maxime universales vitae organicae leges reductae, inde explicentur et deducantur. Leges igitur, quas singuli et trunci et faciei motus in animi affectibus sequuntur, non prius proponi licet, quam cognitâ singularum partium, quae motus efficiunt, et significatione et metamorphosi. Enimvero si scimus e. gr. quam minime diversa a

reliquo corpore sit faciei structura et cum eo maxime comparabilis, si compertum habemus, ad quasnam praecipue partes accedat, neque in considerandis ejus motibus certa puncta comparationis deficient. Significatio singulorum igitur faciei lineamentorum tantummodo comparatione cum motibus inferioribus, quos repetunt, invenienda. Hac tantum viâ ille Proteus, facies dictus certam rationem in variis metamorphosis prodet. Usque ad incipientis seculi tempus massae et carnae et osseae capitibus ante oculos positae jacebant quasi rudis et indigesta moles, cujus automatici motus et formae multiplices et intricatae non comprehendebantur. Lavater quidem, aliique evidenter in eo speculum mentis, januaque perspiciebant, at impotentia Physiologiae ejus temporis tenebras dissolvere haud potuit, imo ipse trunci motuum contentus, quoad Mimicen, quantum ego scio, hucusque intactus inter Physiologos jacuit. Etiam si enim ejus motus et partes, quae movent, singulae cognitae erant, tamen rationem, ex qua in certis animi mentisque motibus provocarentur, exclusis Physiologis, tantum mere philosophi maximam partem inquirebant, qui, physiologicis legibus et Organismi metamorphosi haud respectis, ad solas ipsorum mentis leges in explicando confugiebant. Quum itaque mihi in consilio sit, motum praecipue ad Mimicen et Physiognomicen considerare et physiologicas leges quaerere, procul dubio, antequam ad explicationem singulorum faciei lineamentorum et motuum trunci in animi affectibus me accingo, primum metamorphosis istorum organorum moventium examini subjicienda et praemittenda videtur. Brevitatem utriusque capitis hujus scripti destinatio, imperfectionem materia ipsa excusabunt.

I. *Pars anatomica.*

§. 1.

Polaritatis lex, tametsi per omnes vitae processus pateat, clarissime tamen in motu corporum obvenit, unde factum, ut praecipua, quibus generalis antagonismus exprimebatur, Symbola a motus polaritate depromerentur. Organicum motum considerantibus nobis idem in movendo antagonismus in primordiis hujus regni obviam venit, quo organica jamjam utuntur; tota enim massa inferiorum animalium homogeno muco et gelatina constans duplicem motum exhibet, alterum in semetipsam conversum (centralem, contractivum etc.), alterum externa respicientem (periphericum, expansivum etc.), tota massa contrahitur expanditurve, propriis scilicet organis motoriiis nondum existentibus. Partes ad movendum corpus propriae si exoriuntur, linearem imprimis petunt formam, nempe Extremitatum et fibrarum muscularium, ut altiore metamorphosi formae punctorum, quibus omnia inferiora animalia constant. Dum in intestino vasa oriuntur sanguifera, contra in cute praecipue musculares fibrae quasi arteriae cutaneae enascuntur, non quasi productiones arteriarum et systematis sanguiferi sint, sed potius earum repetitiones in cute. Etiam si enim hucusque certo nondum liqueat, utrum singulis fibris canalis ut vasis insit, nec ne, tamen Trevirani ¹⁾ observationes annuunt, iis quoddam inesse fluidum, quod gelatinam esse existimat, qua per nervorum actionem coagulata musculus

1) Treviranus Biologie, Bd 5.

contrahatur. Neque erit certo, qui chemicam in actionibus muscularibus mutationem musculi negaverit, cum omnis vita organica chemico quoque modo agat; at nostri seculi chemici non facile contractum musculum ab expanso discreverint elementorum diversitate.

§. 2.

Si simplicissimam polaritatis muscularis formam in tractu intestinali et vasis sanguiferis consideras, linearem et sphaericam vides, nempe fibras longitudinales et circulares (Sphincteres). Quorum illae praecipue in ano etc. evidenter Antagonistae sphincterum sunt et partem, in qua enascuntur, expandere videntur, cum contra Sphincteres contractionem intestini efficiant. Unde pronum est, intelligere, illas, si cum animali systemate musculari confers, quodammodo Extensoribus etc., hos contra Flexoribus etc. homologos esse. Quod in intestino longitudinalis fibra vel levator vocatur, in cute contra plerumque Extensor, Inspirator etc.; quod illic sphincter, in cutis perfectiore muscularitate Flexoris, Exspiratoris etc. nomen accipit. Etenim fibrae musculares et systema musculare ut primum in cute oriuntur, eodem antagonismo separantur in duas partes, nihil constituentes, nisi repetitionem cohaesionis et expansionis, quibus jam anorganica et inferiores Organismi nullis ad motum organis propriis instructi gaudebant. Oritur enim latus cohaesionis (flexionis) et latus expansionis (extensionis), quorum primum anteriore seu inferiore corporis planitie ventrali dicta, secundum dorso seu planitie lumini adversa repraesentatur. Ita fit ut e. gr. in vermibus quatuor fibrarum lacerti sibimetipsis oppositi reperiantur, quorum duo dorso affixi extensionem efficiunt, duo ventri adnexi ad flexionem corporis provocandam faciunt. Eadem simplex musculorum polaritas in insectis, ipsisque piscibus cernitur; nam pisces duobus utuntur in quoque latere stratis muscularibus, quae per lineam lateralem corporis inter se separantur ita, ut perfectissime illis insectorum et vermium musculis se accingant per tracheas inter se segregatis, cum procul dubio lineae lateralis piscium aperturae et facci secernentes stigmatibus et tra-

cheis Insectorum seu, si mavis Hirudinis cryptis respiratoriis respondeant. Qui simplices horum inferiorum animalium musculi, si comparationem cum superioribus adjicere lubet, non dubito, quin maxime cum Intercoftalibus vinculo analogiae jungantur. Intercoftales musculi omnium sunt primarii et fundamentales, unde ceteri musculi originem petunt, ita ut reliquos omnes Intercoftales tantummodo commutatos et perfectione et libertate excellentes nominare liceat. Externi Intercoftales, etfi usque ad anteriora prodeunt, tamen dorso et extensioni interni contra ventri et flexioni magis adscribendi videntur.

§. 3.

Propria autem membra motoria, si ex corpore vermiformi verticaliter posita procedunt, quae alias pilorum speciem referunt, alias branchiarum fibrillis, alias denique pinnis ²⁾ etc. repraesentantur, duas habent partes, et latus flexionis (*volam*) et latus tensionis (*dorsum*), quorum illud ventri obvertitur, hoc autem dorso. Illam musculi flectentes, hoc extensores occupabunt. Seu, si mavis ita dicere, ex illis vermium etc. duobus stratis muscularibus intercoftalibus oppositis ad mediam costam fibrae tendunt, ubi pinnarum officula eriguntur, iisque affiguntur. Ita Adductores et Abductores nascuntur, quorum illi a

2) Pinnae piscium et omnes superiorum animalium analogas partes nil aliud puto, nisi branchias ossium scapularium piscium; nam structurâ si paullo accuratius inquirere velis, eadem gaudent ambae; quaeque fibrilla branchialis duabus laminis ossibus dentatis constituitur, quae in pinnarum singulis partibus redeunt, ita ut singuli digiti cum singulis fibrillis arcus branchialis comparandi ex duabus partibus constare primâ origine videantur. Tantum abest, ut totus arcus costalis a dorso usque ad pectus oblitus sit officulis branchialibus, sicuti in branchiis, ut ad mediam potius costam magis, magisque concentratâ officula et numero diminuta denique ad quinque redigantur i. e. ad quinque digitos, qui numerus per Vertebratorum reliquam seriem fere semper constat. Ergo extremitates, si metamorphosin respicis, branchias et ossa respiratoria nominare licet ad motum praecipue efficiendum commutata. Ex hac metamorphoseos aequalitate evenit tantus ille in omnibus animalibus consensus inter organa respiratoria et motoria, ut non solum in multis ambae functiones in uno organo jungantur, verum in superioribus animalibus motus celer celeriore reddat respirationem etc.

ventre, hi a dorso originem ducunt. Ergo hos musculos (e. gr. Pectorales, Latissimum dorsi, Abductores femoris et Glutaeos) si accurate definirem, nominaverim Intercostrales ad membra motoria relatos, seu Flexores et Extensores humeri et femoris. Quae musculorum strata in piscibus a dorso et pectore usque ad pinnas (digitos) tendunt, neque adsunt singulares pro singulis extremitatum articulis musculi, quoniam, etiamsi humerus, ulna et radius adsint, tamen certe moveri non possunt, exceptis carpi vel metacarpi ossibus. Exortis autem articulis hi duo musculi dorsalis et pectoralis subdividuntur, ita, ut proprium in singulis extremitatum ossibus ortum habentes Extensores et Flexores articulorum nascantur, quorum igitur illos jure Latissimos dorsi vel Spinatos, hos vero Pectoralium continuationes nominari liceat. Uti enim simplicia ossa in multa extremitatum dividuntur, ita musculi etiam Extremitatum e simplicibus Intercostralis ad mediam costam (acetabulum) directis divisione proveniunt. Inde fit, ut Biceps brachii in ranis adhuc a sterno oriundus caput humeri transcendat et consueto loco affigatur, ut igitur simul Pectoralem minorem repraesentet, qui in superioribus demum animalibus plane a Bicipite separatur. Quorum duorum musculorum confluxus diserte probat, quomodo extremitatum muscularia strata originem ab Intercostralis petierint; non enim credo ullum fore, qui pectoralibus musculis nomen liberiorum et auctiorum Intercostralis recusaverit. Tantum enim abest, ut singulae horum musculorum portiones ad proximam costam applicentur, ut potius plures costas transilientes costae scapulari (claviculae et scapulae) admodum praeceteris auctae affigantur. Ergo idem interest discrimen inter Pectoralem et Intercostrales, quod in levatoribus costarum longis et brevibus videmus, quod porro in multis aliis conspici licet. Musculi eo tantummodo liberiores et perfectiores redduntur, ut filii Intercostralis spatium intercostale seu singularem corporis articulum (qui costam et vertebram indigitatur) transilientes ad alium remotiorem tendant, majoresque evadant, unde fit, ut ob exiguitatem Intercostralis materna dignitas et evolutio omnium musculorum ex his non clare amplius appareat. Bene autem

videtis ad Intercoſtales referendos quoque eſſe Interſpinofos, Intertransverſarios, qui idem valent in dorſo, quod Intercoſtales proprie ſic dicti in anteriore corporis parte. Articulationem vermiformem corporis enim indicant et eo nobiliores fiunt, ut plures articulos tranſiliant et complectantur.

§. 4.

Itaque per Pectorales et Spinatos etc. Flexores et Extenſores ſuperioris extremitatis naſcebantur, quod in piſcibus clariffime apparet. Si duplicia oſſa in antibrachio evolvuntur, alterum profecto ad dorſum, alterum ad ventrem pertinebit, illud humero affigetur, ubi praecipue Extenſores adhaerent, ergo ad condylum externum, hoc contra condylo flexorio admovebitur. Os lateris extenſorii antibrachii *radius*, flexorii *ulna* vocatur. Si procedis ad manum, radius dorſalis continuatur et multiplicatur in tertium, ſecundum digitum et pollicem, contra pectoralis ulna repetitur per quartum et quintum. Antibrachium et manus autem praeter Flexores et Extenſores Pronatores et Supinatores atque Adductores et Abductores habent, quorum Pronatores et Adductores flexionis modificationem conſtituere videntur, cum contra Supinatores et Abductores digitorum extensionem repetant ſecundum oſſium formam et mobilitatem mutatam.

§. 5.

Flexores autem cohaeſionem repetentes minus nobiles habendi Extenſoribus, quum contractio jam ex idea omnis metamorphoſeos prius exiſtere debeat, quam expansio, quoniam unitati magis appropinquat quam expansio. Inde fit, ut latus extensionis ſeu dorſale extremitatum majori libertate gaudeat, latere flexorio. Radius inde ſine dubio nobilior habendus ulnâ, et porro, ſi ad digitos deſcendis, dorſales digiti (tertius cum indice et pollice) ex radio naſcentes multo perfectiores ab omniquoque anatomo habebuntur quam quartus et quintus. Inde porro ſequitur, ut primâ cujuſque Organismi aetate flexio in univerſum prae extensione dominetur, quae conclusio, ſi embryonis

metamorphosin contemplantur, admodum distincte probatur. Nam totum corpus embryonum vertebratorum et non vertebratorum animalium nonne ad anteriora versus planitiem flexoriam curvatum est? Et quando extremitates oriuntur, nonne statim anteriora petunt et in articulis flectuntur, ita ut omnia versus concavum abdominale latus quasi punctum centrale flexionis trahantur? Sententia enim, quam vulgo doctores obstetriciae artis proponunt, ex qua situs tam curvus embryonis eam tantum ob causam electus est, ut spatium ab embryone impletum quam minimum sit, non vereor, ne longam refutationem requirat. Imo ipsis sensuum extremitatibus ortis, partes saepe ad flexionem se convertunt; ita palpebrae, ortae, concresecunt, quasi sphincter oculi praevalcat. Eandem causam afferendam puto, cur ipsa Iris membrana pupillari claudatur. Quae enim membrana pupillam claudens nihil aliud mihi esse videtur, nisi indicium maximae in Iride contractionis seu flexionis consensu cum reliquo systemate musculari conjunctae. Uti enim post partum in toto systemate musculari factor extensorius seu expansivus magis magisque praevalet, ita in iride quoque deinde nunquam tanta contractio conspicitur, quam ante partum. Quaeritur autem, quamobrem in embryone nondum trimestri nulla obveniat membrana Wachendorfiana, cur porro in avibus etc. deficiat. Illud facile eadem causâ dissolvi putaverim, quae palpebras tertio demum mense claudit. Uti enim palpebrae sine dubio prius concresecere non possunt, quam tam longae sunt, ut altera alteram tangat, sic Pupilla claudi eandem ob rationem non poterit, antequam iris tantopere increvit, ut margines in centro se attingere et invicem concresecere possint, quod tertio mense fieri videtur; nam hic motus, ut omnis fere in foetu motus, est formativus i. e. nisu formativo et nutritione productus, qualis solus etiam in planta crescente reperitur, non vero musculari actioni innisus. Eadem causa fortasse proponenda, si secundam de membranae pupillaris in avibus et inferioribus vertebratis defectu quaestionem inquiris. In embryone hominis et mammalium eo demum tempore illa membrana apparet, quo reliquus etiam organismus ab avium classe ad mam-

malium habitum ascendit i. e. fine tertii et incipiente quarto mense. Quodsi ergo in embryone hominis causa reperitur in incremento nondum sufficiente, cur ante illud tempus pupilla concludi nequeat, eadem forte causa in organismo regni animalis, qui cum individuali metamorphosi consentit, statuenda, ita ut in piscium, amphibiorum et avium embryone iris ob parvitatem latitudinis concrefcere nullo modo queat; cui accedit, quod quisque facile cognoscere potest, iridem inde a piscibus usque ad mammalia magis, magisque a peripheriâ ad centrum increfcere, augeturque latitudine. In mammalibus igitur iris centrum pupillae assequitur, quod in inferioribus vertebratorum classibus tantummodo affectaverat. — Si plantam contemplaris, eadem metamorphosis motus se offert. Apertio enim floris et folii, quid aliud est, quam transitus plantae a flexione ad extensionem, quid aliud denique antherarum disruptio, quam expansio folii?

§. 6.

Non solum autem individuum organicum transitum a contractione ad extensionem monstrat, verum in organismo animali universali seu in regno toto animalium eadem lex constat. Dicitur potest, quo nobilior sit animal, eo magis in extremitatibus praevalere extensionem. Horizontalis enim mammalium etc. status debilitate tantum extensorum posterioris extremitatis producit. In fine demum regni organici perfecta extremitatum extensio stando nascitur in simiis et homine. Status erectus ergo in regno animali indicium maximae expansionis est. — Sunt autem praeterea multa animalia inferioris ordinis, quae caput et os ad terram vertunt, ano contra, branchiis et genitalibus sursum directis (Cephalopoda, Testacea multa, Medusae nonnullae etc) Quorum statum omnium maxime inferiorem habendum putaverim, quippe qui plane oppositus est maxime expansivo hominis et quoniam fortasse plantarum statum repetit. Radix enim os animalium esse videtur in terram et aquam conversum, contra folia et flos cum branchiis et genitalibus ad anum sitis procul dubio conferenda, ita ut dici possit, finem regni or-

ganici in homine plane oppositum assequi statum plantae et inferiorum animalium, et caput a terrâ ad aërem erigi, quasi centrum organismi semper sursum ascendere oporteat.

§. 7.

Memoranda mihi denique est alia illius in trunco antagonismi muscularis modificatio, quae per respirationem efficitur, nempe levatio et depressio costarum. Quarum illa sine dubio modificatio extensionis nominanda, cum clarissime pateat, in inspirando non solum pulmonem extendi, verum reliqui systematis muscularis partem extensivam consensu corripit. Contempleris enim alta vel oscitantium vel asthmaticorum spiramenta, in quibus non solum caput sursum et retrorsum trahitur, sed ipsa brachia et pedes usque ad extremos digitos extenduntur; quare levatio quoque costarum et musculi inspiratores recte extensioni et expansivae muscularitatis parti adscribendi. Oppositam significationem contra depressio costarum et Exspiratores habebunt, quum contractio pulmonis in expiratione contractivum quoque motus factorem solummodo in consensum rapere possit. Depressio igitur costarum, flexio, levatio autem extensio quaedam est.

§. 8.

Hucusque extremitates praecipue et truncum consideravi; ad caput nunc transeamus. Cujus habitus et structura, quantopere truncum referat, ab Okenio ita demonstratum est, ut nullum dubium relinquatur. Quo fit, ut non solum costae singularum capitae vertebrarum adsint, verum costae extremitatum, extremitatesque ipsae repetantur maxillarum nomine nuncupatae. Ipsos autem arcus maxillarum magis costis scapularibus et pelvis aequiparandos putaverim, quam singulis extremitatum ossibus, quod praecipue in eorum motu et musculis clarissime patet. Maxime ergo appropinquant Intercostalibus et eo tantum differunt, quod perfectiores et multipliciores redditi sunt, quod idem in costis extremitatum trunci obvenit, ubi fortioribus ossibus fortiores

quoque musculi applicantur. Genae igitur repetitionem Intercoſtaliū conſtituunt. Motus manducatorius maxillarum non recedit a motu coſtarum; abductio enim et appreſſio arcuum duorum maxillarium nihil aliud eſt, niſi expansio et contractio coſtarum. Motus itaque maxillaris admodum inferior polaritatis in motu eſt repraeſentatio, levationi et depreſſioni coſtarum ſe accingens. Quod attinet ad mobilitatem maxillarum, id in comparatione praecipue mirum accidit, ut contrarium, quam in trunci homologis partibus, obſervari liceat. Tantum enim abeſt, ut in trunco pelvis ob ingeſtionis defectum immobilis, contra ſcapula multo mobilior reperiatur, ut contra potius maxilla inferior pelvim repetens maxime libera, ſuperior autem cum ſcapula homologia conjuncta immobilis cernatur. Superioris ergo maxillae motus ſolam carnem liberam ab offibus afficit nempe genas et labium ſuperius. Labia in maxillis id conſtituunt, quod in digitis nonnullorum carnivorum involucra unguium, ſed ſimul procul dubio, tactum ſubeuntia cum digitorum extremitatibus papillis nerveis abundantibus conferenda, a quibus diſcedunt ita, ut tactus in digitis in volari planitie exoriatur, in maxillis contra in dorſali planitie digitorum (dentium) efflorescat.

§. 9.

Quod autem harum partium musculos ſpectat, omnes fere cum ſerie fibrarum Intercoſtaliū comparari poſſunt, quae inter ambos arcus maxillarum ſitae, a dorſo antrorſum directae hic liberiores evadunt. Temporalis ſimilitudinem Levatoris coſtarum refert vel Rhomboidei, cum a proceſſibus ſpinofiſ vertebrarum duarum anteriorum originem ducat et praeterea in ala majore offis ſphenoidei, quo levatori coſtarum ſimilior redditur, ita ut, quoniam levat pectus maxillare, ad Extenſores referendus eſſet. Attamen, cum ſuperior maxilla immobilis ſtat, duas coſtas apprimat, unde oppoſitum motum i. e. exſpiratorium ſeu flexorium indicat. Quod in manu flexio digitorum ad pugnum faciendum eſt, id in maxillis compreſſione dentium, in coſtis, earum appreſſione repraeſentatur. Maſſeter autem ſine dubio nihil aliud eſt, quam Intercoſtalis

B

et si motum ejus consideras ad Flexores et Exspiratores numerandus. Uti vero Masseter et Temporalis in posteriore parte arcus maxillarum costalis Intercoftalium formam ostendunt, ita Buccinator in parte alveolari, qui ab illis nonnisi libertate majore recedit; exinde sphincterico quodam munere fungitur egerendo, exspirando, cavum oris contrahendo, ut notum est. Antagonistae omnium, quos hucusque nominavi Flexorum in sterno colli (osse hyoideo) affiguntur (Mylohyoideus, Geniohyoid. Digastricus etc.) et quoniam os et maxillas aperiunt, Extensoribus adnumerari debent; Platysmamyoides contra, quia fixâ maxillâ inferiore caput maxillaremque thoracem ad latus ventrale detrahit et ad pectus apprimit, Flexoribus adnumerandus, etiamsi eandem intercoftalem formam quam muscoli intermaxillares et hyoideomaxillares habet. — Ceteri qui ad maxillas pertinent muscoli, ad labia movenda conspirant et hâc duplex apparet antagonismus. Alter universalior existat inter Orbicularem oris et ceteros labiorum musculos (Levatores labiorum, Zygomaticos etc.) quorum ille sphincterico modo agens ad Flexores referendus, hi contra quasi radii in varia hujus sphincteris puncta infinuati, ejusque effectui repugnantes Extensores nominandi. Quoad sphincterem omnes igitur homologum motum, nempe expansivum excitant; at vero, hoc universali antagonismo non respecto, quodammodo inter se ipsi repugnant et Depressores opponuntur Levatoribus, sicuti exspiratio et flexio inspirationi et extensioni; et ad quosnam musculos referantur, inde liquet. Ita Levator anguli oris praecipue Depressori opponitur. Levator menti eandem quam ceteri levatores, significationem habet, expansivam scilicet.

§. 10.

Quod attinet ad cranium, Epicranium sine dubio nihil aliud est nisi Inter-spinosus diruptus, ut Meckel recte memorat, ergo ad Extensores referendus; extensionem columnae vertebralis capitis efficit. Cui opponitur Corrugator superciliorum, ergo Flexoribus adscribendus. Dum Frontalis cutem frontalem ad tergum movens inde extensionem corporis subit, Corrugator contra sphincteris modo faciem flectit et frons ad la-

tus flexorium ventris detrahitur, quasi exspirare velit. Eadem polaritas in oculi musculis apparet. Satis enim cognitum est, Orbicularem palpebrarum opponi Levatori palpebrae superioris, atque ille quidem, ut omnes sphincteres, contractionem subit eodemque naturae consensu cum Corrugatore cohaeret, quo Levator palpebrae sup. cum Frontali. Quae autem generalis motus antagonismi repetitio non modo in externis hujus organi partibus liquet, verum in bulbi musculis luculentissime etiam apparet. Singuli enim bulbi musculi antagonismo eodem inter se disjunguntur. Rectus oculi superior eadem polari ratione distat ab inferiore, ut Levator palpebrae ab Orbiculari, vel, si universalis enuntiem, ut extensor a flexore, expansio a contractione, abdomen a dorso. Memoratu dignum igitur videtur, quod in piscibus obvenit palpebris mobilibus, ut notum est, plerumque destitutis, igiturque oculos concludendi facultate privatis. In nonnullis piscibus animadverti, oculos omnino rhythmicum motum habere et talem quidem, qui nictationi superiorum classium respondet. Rectus oculi inferior enim functionem Orbicularis palpebrarum subiit et oculus satis certis, sed paullo longioribus quam in palpebrarum nutatione temporibus deorsum in orbitam retrahebatur, sed statim praevalente Recto superiore ad statum priorem et tranquillitatem rediit, eadem ergo ratione, qua in palpebrarum nictatione Orbicularis statim a Levatore vincitur. Motus rhythmicus igitur, quem nictationem vocamus, dum in mammalibus etc. palpebris, immobili Bulbo, efficitur, in piscibus contra ipsius bulbi dejectione et retractione fit, immotis plicis cutaneis, quas palpebras nominamus. Quo phaenomeno comparatio etiam illa (Recti super. cum Levatore palp., inferioris cum Orbiculari,) licet reapse clara, tamen clarior, evidentiorque redditur. — Quibus intellectis laterales bulbi musculi jure cum Adductoribus et Abductoribus extremitatum trunci comparabuntur. Internum Adductorem seu Pectoralem, Externum contra Abductorem seu Latissimum dorsi oculi nominare licet. Denique ipsa Pronatio et Supinatio extremitatum repetitur per Obliquos. Superior oculum ad pronationem vertit, inferior contra Supinatorem repraesentat. — Quod si

denique ad nasum descendis, eandem quam in oculo cognovimus polaritatem non desideras. Contractionem Compressor (quasi Cleidomastoides), et Depressor narium, expansionem Levator alae nasi et Dilator proprius curat.

II. *Pars physiologica.*

De Mimice.

§. 11.

Postquam metamorphosin systematis motorii, singulorumque musculorum naturam in universum examinavi, ad motum ipsum in affectibus animi, mentisque transibo. Neque autem mecum agito, plane novas in his doctrinis observationes proferre, sed id tantummodo in animo est, ut experientiarum empiricarum Lavateri, Camperi, Engelii etc. explanationem et leges Mimices et Physiognomices physiologicas universales proponam. Specialia uberius pertexere scriptum ipsum vetat, aliisque cedo, quibus plures observationes physiognomicas facere contigit, quam mihi. Neque enim Lavateri observationibus specialioribus niti licet, quod saepe plus exclamat, quam judicat, magis imagines singulas confuse considerat, quam leges proponit.

§. 12.

Causa maxime universalis, quam statuendam puto, cur uno eodemque irritamento singula strata musculorum trunci et faciei in actione consentiant, ea est, quod naturae homologiâ inter se junguntur. Nemo in quaestionem vocat, quamobrem singulae unius musculi fibrae ita inter se consentiant, ut unâ contrahantur, unâ expandantur, nemo interrogat, cur in extensione trunci omnes extensores musculi ab Inter-spinosis usque ad Cucullarem ad actionem concitentur, quid mirum ergo

si affecto cerebro cranii atque faciei muscoli homologi unâ contrahuntur? Idem enim aderit consensus aequalitate effectus cum ceteris trunci musculis, quem in singulis fibris nemo admiratur, cujusque causam nemo interrogat. Consensus igitur omnis duorum trunci et faciei musculorum in affectibus animi tantum significationi aequali iunitur.

§. 13.

Vidimus autem animalium motum duplicem et sibi oppositam directionem manifestare, alteram expansivam, alteram contractivam, quae in primordiis regni animalis, propriis organis deficientibus, ab una eâdemque massâ ambae producuntur. Perस्पeximus porro, musculis ortis, hanc in movendo polaritatem duabus musculorum sibi oppositorum seriibus exprimi, quae Extensores et Flexores nuncupantur. Unde sequitur, ut praecipuus adesse debeat consensus inter singulos musculos unius poli, quoniam homologiae vinculum omnes continet. Quum autem eadem polaritas, quae systema musculare trunci in duas partes principales separat, in capite redeat et linguli capitis muscoli nihil aliud sint, quam trunci muscularitatis repetitio, idem consensus inter homologos trunci et capitis musculos aderit ob homologiam directionis ipsam necessarius. Quid ergo mirum videri poterit, quod in quibusdam animi affectibus, in quibus truncus, actione Interspinoform etc. erigitur, Interspinoform capitis (Frontalis), aliique faciei Extensores simul frontem etiam erigant faciemque extendant? Homologus motus, qui truncum corripit, repetitur tantum in capitis muscularitate affectibus animi excitatâ.

§. 14.

Secunda autem est quaestio et gravior quidem, quamobrem in certis animi, mentisque motibus *certa* strata muscularia afficiantur, moveanturque, seu quaenam sit causa consensûs inter certos animi motus et certos musculorum lacertos. Etsi hoc dijudicare difficilius sit, tamen eadem, quam modo proposui, lex etiam huic consensui subesse videtur. Tantummodo aequalitas naturae et praecipue directionis motûs cujus-

dam animi et muscularis strati causa primitiva esse potest, unde consentiant et consentire queant. Nunquam ergo ita fiet, ut motus aliquis animi musculos antagonistico modo ipsi oppositos ad actionem excitet, sed imo potius eundem motum, qui animum agitat, muscularitas sequetur et ii muscoli contrahentur, qui talem motum efficiunt. Inde sequitur, ut in oppositis animi affectibus opposita, iisque homologa strata muscularia agere debeant. Tantummodo ea intercedit differentia, ut motus animi in cerebro et nervis pro nervæ eorum naturâ agat, in musculis musculari, illic præcipue sensu, hic motu. — Quum autem (§. 1.) duos in motu polos principales habeamus, alterum ad externa se vertentem (expansivum), alterum in Individuum ipsum directum (contractivum), concludendum, expansionem animi (i. e. directionem in externa) expansores musculos in consensum tracturam, contractionem animi (conversionem ejus in semetipsum) contra contractores correpturam. Ergo in affectibus animi expansivis Extensores eorumque modificationes consentient, contra in contractivis Flexores contrahentur, ita ut systema musculare aequali modo agat et homologo unâ cum animo et motus corporis in animi affectibus nihil aliud sit, nisi repetitio motus animi in systemate musculari.

§. 15.

Sicuti qualitas affectus animi in corpore repetitur, ita etiam quantitas i. e. vis ejus major minorve vim quantitativam actionum muscularium in universon constituet. Vehementior ergo affectus plures musculos ad contractionem incitabit et tranquillitas animi tranquillitate musculari exprimetur, tenuem affectum tenuis motus sequetur. Motus animi sensim sensimque auctus gradatim plura musculorum strata commovebit, ita ut paulatim ab uno lacerto ad alium homologum, quasi isolatoribus electricis victis transiliat, quod idem sæpenumero in spasmodis accidere solet. Ita fit, ut sæpius denique ipsa organa respiratoria agere incipiant propter magnum inter motum et respirationem consensum et sic vox, loquelaque motum adjuvat, comitaturque. Loquela

enim nihil est, nisi Mimice; est Mimice auditus, ut Mimice proprie ficta loquela visus habenda. Sicuti haec motum et membra motoria spectat, illa contra respirationem et organa respiratoria corripit. Si Mimice in cute oritur, contra Mimice sonorum praesertim in intestino cuti opposito residet. Quae Mimice in similes leges universales reducitur, quam nostra et diversae linguae in literis, syllabis et vocibus naturam et animum populorum prodent, uti motus corporis animum. Hoc autem non ad meam quaestionem membra motoria solum inquirentem spectat, sed Acustices et Philologorum physiologicorum est. — Propositis nunc universalibus legibus, ad singulos affectus descendam, ut videamus, an illae leges ipsa natura confirmantur, nec ne.

§. 16.

Affectus animi, in quibus ob simplicitatem naturae polaritas Mimices quam clarissime patet, primum considerabo, quoniam nimirum illarum legum veritas hic evidentius apparet, quam in compositis, qui ob compositionem motuum quoque mixtionem variam excitabunt.

Duo sibi metipsis oppositi animi motus sunt *metus* et *spes*, quorum alter retractio animi est in semetipsum ob mundum minitantem, alter expansio animi in tempus futurum harmoniam cum organismo conjunctum. Is, qui metuit, disharmoniam inter se atque mundum et se illo iusto debiliorem esse sentit. Timidus animus ergo recedit ab externis in se ipsum et lubentissime, si posset, correperet usque ad punctum mathematicum, quum contra spes atque desiderium se expandere mavult usque ad spatii temporisque infinitatem. Inde concludendum, metum naturae contractivae, partem quoque contractivam systematis muscularis in consensum tracturum i. e. flexionem. Itaque totum corpus ad latus flexorium converti et adduci debet, nempe ventrale (§. 2.) Inde fit, ut in periculis imminentibus jamjam vermes, Julus aliaque Insecta metu percussa statim totum corpus antrorsum contrahant, pilaeque instar convolvant; neque in his animalibus solis, quando metuunt, hic motus occurrit, sed omnes bestiae superiores idem plus minus ostendunt et homo

ipse. Quo fit, ut timidi saepissime dorso incurvato incedant, ut mala conscientia caput inclinatum et oculos statim conniventes et demissos prae se ferat. Extremitates si spectas, in omnibus plerumque animalibus Adductores et Flexores agunt omnes. Carabus aequae ac homo extremitates omnes in omnibus articulis flectit et antrorsum contrahit, femora ventri, brachia pectori admoventur ita, ut organismus quasi foetalem positionem petere videatur. Qui autem in trunco conspicitur motus, caput idem occupabit. Omnes igitur faciei Flexores consentient, frons Corrugatore suo contrahitur seu flectitur, sphincter oculi diminuit fissuram palpebrarum ³⁾, nasi Compressor nasum deprimit, ejusque aperturas contrahit, et caput totum detrahitur inter humeros et ad pectus, i. e. costae extremitatum capitis Intercoastalibus suis (Platysmamyideo etc.) attrahuntur costis pectoralibus, quasi exspirare velint. Thorax autem consensu eodem conspirans comprimitur, et in testudinibus, cum caput timide retrahunt, magna etiam, compressis consensualiter pulmonibus, exspiratio editur. Fortasse ex eodem consensu naturae, quem inter Sphincteres et Flexores versari jam pluries commemoravi, evenit, ut in aliis etiam locis, praecipue autem in latere egestivo corporis excretiones auctae oriantur. Ita in Testaceis aqua inspirata ex tracheis et sacco branchiali ejicitur, ita porro ranae, bufones, testudines exspirant vesicam urinariam evacuantes, nonnulli carabi, *Aplysia*, *Sepia* etc. succum quendam acrem ex ano expellunt et in homine ipso sat constat, mirum quantum urinae, faeciumque excretio augeatur, nisi forte haec omnia quasi criseos hujus affectus signa habere velis. Clare saltem ex his omnibus vides, quanta sit in corpore omnium Flexorum conspiratio, ita ut metum jure motum animi flexorium nominare liceat, qui, uti in aliis quoque praecipue deprimentibus animi affectibus fieri solet, ad dissolutionem paralyticam totius et systematis muscularis et mentis et voluntatis transiens organismum fractum et quassatum mundo irrumpenti submittit.

3) *Adamantius Physignomon*. Lib. I. (ex ed. Franzii p. 364.) Ὀφθαλμοὶ σαρδαμυττοντες, δειλίας κατηγοροί.

§. 17.

Contra si sperantem hominem contemplamini, numne idem motus flexorii obviam oculis veniunt? imo contrarium et oppositum movendi modum reperietis, neque mirandum est, cum homologiâ inter se conjungi debeant. Spem expansionem animi vocavi, ergo expansiva musculorum pars cum eâ consentiat, necesse est. Tantum igitur abest, ut corpus antrorsum ad flexionis latus curvetur, caputque demittatur, ut potius spina dorſi retrorsum tendens erigatur, caput levetur et totum corpus Extensoribus extremitatum inferiorum agentibus tollatur. — Aucto spei sensu in animum fortem transitus fit. Homo animi fortis in externa se opponentia vertitur et regnare mundum credit. Animus tantummodo aucta spes usque ad fiduciam est. Liber ergo fortisque recto, paullulumque reclinato capite, recurvatis humeris incedit, extensoque pectore, quasi mundum irruentem inspiraturus assimilaturusque. Gestus igitur, quibus imperamus, fortasse omnes, motus extensorii sunt. Imperans manum projicit, digitosque extendit et nisi externa voluntatem sequuntur, similis in extremitate inferiore repetitur extensio, cum vehementer humum pulsat pedum suppleſione. Quae extensorum actio, auctâ fiduciâ sensim magis augetur et hoc modo fortis animus transit in superbiam, insolentiamque, quarum rigidi lacerti taedium movent. Superbus enim motibus extremitatum incedit, in quibus vix flexio aliqua animadvertitur, quasi articuli ancyloſi sint immobiles. Tota spina dorſi retrorsum vertitur, caput elatum recurvatur, pectus magnos sibi sumit spiritus, expanditurque. Facies autem eundem tumorem extensionemque offert, quae truncum occupat. Non solum enim Interſpinofi dorſi spinam dorſalem retrahunt, non solum caput musculis rectis capitis posticis etc. (i. e. perfectioribus Interſpinofis) in opoſthotono superbiae rejicitur, verum cranii ipsius Interſpinofus seu Frontalis contrahitur et frons versus latus extensorium dorſale retracta transversales plicae nobiles et graves ostentat. Genae inflantur ut pectus, et Extensores nasi nares expandunt, levantque, ita ut, quanta quanta in toto corpore versetur Extensorum actio consensualis, luculentissime appareat. Imo.

C

linguae ipsae superbiam, fortitudinem, spem talibus exprimunt symbolis quae plus minusve expansionem significant (animus erectus, elatio animi, superbia, tumor etc.). — Spem et animum si vigilem animae statum dicere licet, contra timor somnus ejus nominandus. Sicuti in somno magna virium pars retrahitur ab externis ad interna igiturque organismum placida flexio fere universalis tenet sublata conscientiae et sensuum luce, ita in metu quoque flexio organismum, sed spadmodice corripit, quum contra in vigili statu et spe Extensores plus minusve in actionem provocantur.

§. 18.

Superbiae et spei autem proxime in motuum similitudine adsunt *curiositas* et *stupor*. Ambo enim inter se expansiva directione conveniunt. Stupor magnum quid capere studet et in eo appetendo animus defixus rigit. Est quasi alta animi inspiratio retenta. Motus ergo totius corporis inspirationem, extensionemque offeret. Inde evenit, ut corpus elevetur sicuti in spe, pectus expandatur, ut porro brachia non solum in humero extendantur et retrorsum trahantur, verum ipsi digiti (Abductoribus i. e. Extensoribus agentibus) distendantur, ut taceam capitis motum, quod eodem consensu correptum Frontalis contractione explicatur, ut taceam porro faciei extensionem, quam aperturae ejus praecipue ostendunt. Os enim, nares, oculi attoniti hiant Levatoribus omnibus agentibus. Et nonne ipsam Iridem similis pupillae expansio occuparet? Ampla saltem pupilla perspicue stuporis atque curiositatis vigorem auget. Neque a verosimilitudine abhorreret, cum expansio pupillae motus inspiratorius vel extensorius sit, quod in strigibus clarissimum evadit, quibus quaque inspiratione expandi, expiratione contra angustiores reddi constat. — Quis autem est, quin ex hac succincta stuporis descriptione veritatem consensûs inter Extensores magni intelligat; imo in barbaris populis, quibus, deficiente linguae perfectione, major mimici motus data est vivacitas, etiam vivacius stupor exprimitur. Ita Bojesmani, populus admodum bestialis, quando stupor eos invadit, dextrâ manu in cervicem rejectâ, caput penitus in dorsum recurvant. Si

admiratio et stupor increscunt, extensio paulatim transit in catalepticam rigiditatem et hoc momento, cum animus vix amplius externa perferre potest, in eo est, ut ad contrarium polum transiliat nempe ad metum ejusque motus per *terrorem*. In terrore enim magna musculorum pars extensionis efficacitatem, animumque attonitum adhuc confirmat, sed in facie jamjam antagonista Frontalis extendentis, Corrugator supercilia contrahit, ita ut organismus non amplius cum mundo harmonia conjunctus ab eo recedat et ad timorem incurvatus, conscientiam denique et musculis paralytice labefactis, inimico irrupenti subjiciatur. — *Curiositas* fere eosdem, quos stupor, habet motus nonnisi majore mobilitate prae eo excellit. Diducitur tota facies et Sphincterum omnium vis frangitur ab Orbiculari oculorum usque ad oris sphincterem, totum corpus et caput attollitur, quin ipsae aures arriguntur, quod apud animalia sat perspicuum est. Totus enim organismus ad aliquid sentiendum impetrandumque tendit, omnisque a centro suo ad externa irritamenta egreditur. Quare non curiositatem solam, sed omnem cupidinis expansionem expansivus muscularitatis factor comitabitur.

§. 19.

Metui vero naturam suam arctissime adjunguntur *pudor et reverentia*. Ambobus enim sensus inest externorum praestantiae et suimetipsum debilitatis. Pudor autem aequae ac reverentiae multo tranquilliores, lenioresque, quam anxietas et metus. Quo fit, ut motus flexorii in pudore multo minus totum corpus occupent, quam in metu. Pudicitia solum caput, ejusque Flexores ad consensualem actionem excitat et Aristoteles jam dicit: | ἐν ὀφθαλμοῖς γὰρ αἰδώς. Pudibundo igitur caput flectitur, dejiciturque vultus, Orbiculares oris et oculorum aperturas contrahunt, sicuti in metu quoque, irruente periculo, antea aperta ora et hiantia plerumque clauduntur. Qui animum cum palpebrarum, orisque Flexoribus conjungit consensus, idem bulbi homologos musculos corripit, ita ut Recto inferiore oculus ipse in terram figatur. — Si *reverentiam* examinas, haud respectam notionem, jam verbi etymologia indicat, quantopere

ad metum ipsum accedat, ita ut necessario similes motus provocare debeat i. e. Flexorios; quare evenit, ut signa venerationis fere solis flexionibus, contractionibusque corporis constituentur. Nos Europaei caput denudatum, dorsumque flectimus, vivacis ingenii Orientalis contra totum corpus incurvatum ad terram dejicit. Si ad extremam venerationem ventum est, brachia flectuntur et genua; Orientalis brachia pectori adducta flectit, neque nostra in precando geniculatio et manuum complicatio disciplinâ quadam ortae sunt, sed naturâ potius vim suam exercuit et necessarium est animi modesti, reverentisque signum, sicuti eosdem motus jamjam in verme et insecto metuente compertos hebemus. Ex eadem forte causa est, quod animus obsequiosus saepius motibus flexoriis exprimitur, quoniam haec animi obsequentia profecto quendam, sed nobilem adhuc, defectûs voluntatis propriae gradum et reverentiam quandam externarum rerum indicat, ita ut metui quodammodo naturâ accedat. Inde adnutatio capitis, nictatio oculorum etc. ad flexionem pertinentes omnes in plausu obveniunt et obsequendi studio.

§. 20.

Ad *iram* nunc progredior, quae complicatioris jamjam est naturae. In universum directio ejus, praecipue si furorem spectas, magis expansiva est. Attamen magnum discrimen est faciendum inter iram suppressam et furorem incendii instar erumpentem. Suppressio sine dubio in systemate musculari Flexoribus exprimitur, quod retrahitur vis per voluntatem in Organismum ipsum; inde manus ad pugnum contrahitur, comprimuntur dentes, quatiuntur labia, contrahitur frons, deprimiturque nasus, at in flagrantibus oculis et spasmodice extenso cubito facile directionem primariam expansivam et imminens incendium animadvertit, usque dum flexio irae suppressae ad expansionem furoris subito penitusque transiliat, polis muscularibus repente commutatis, sicuti in saltu, in quo etiam articuli flectuntur, ut extensio eo major deinde sequatur. Distenduntur digiti, protenduntur brachia, elevatur caput, frons spasmodice explicatur, conjiciuntur in inimicum oculi micantes et prominentes, divelluntur nares et os restrictis dentibus hiat.

§. 10.

Supereſt praeterea affectus animi ad extenſorios vel excitantes pertinens, qui ſingularem conſiderationem meretur, nempe *laetitia*. Externae res non inſeſte in gaudentem agunt, ut in metuentem, ſed harmonia maxima inter ambos contingit, eoque gaudium praecipue ſi quodam accedit deſiderium, ſpei ſe accingit in motibus, quaſi anima omnia tentacula lubenter emittat ad excipienda externa. Illa igitur geſtientis animi elatio expanſioque in toto corpore potiſſimum expanſivum factorem musculorum provocabit. Caput ergo levatur perinde ac corpus, frons et facies, conſentientibus Extenſoribus, explicantur, aperitur os et oculi placide ardent; labium ſuperius autem praecipue in angulo per levatorem anguli oris tollitur, quo modo riſus oritur. Riſus ergo nihil eſt, niſi motus quidam extenſorius faciei, quoniam extenſore quodam praecipue efficitur. Inde fit, ut ſaepe ſimul nares tranſverſe uti frons hilaris plicentur, ut porro dentes reſtringantur, ſicuti in ira. Ex quo etiam liquet, quantopere ſaepe diverſi affectus animi, ſi motum ſpectamus, hac vel illa parte admodum inter ſe conſentiant et certo eam quidem ob cauſam, quia ambo eandem directionem habent. Reſpicias e. gr. reſtrictionem dentium et in furore et in amoris deſiderio, riſuque obvenientem, vel rigentes oculos ſerpentis cupiditate incenſae et hominis ſtupefacti et exſpectantis.

§. 22.

Triftitia, quum laetitia opponatur, animusque a mundo inſeſto in ſe recedat, per flexionem praecipue exprimetur, quae denique ſicuti in metu ad paralyſin omnis vis muscularis tranſit. Corpus inde antrorſum curvatur, caput compreſſo pectori admovetur, corrugantur ſupercilia, dejicitur vultus, figuntur in terram oculi et ad canthum internum retrahuntur 4), labra concurrunt et antagoniſta ridentis, extendentisque levatoris anguli oris angulum deprimit, ſicuti Intercoſtalis colli (Platys-

4) *Ariſtoteles de Phyſiognomica lib.*: οἷς δὲ εἰς τὰς μυκτῆρας κρυπτεται ὄψαλμος, ὡς περ τὰ τραγικὰ πρόσωπα καὶ οἱ στρυφνοὶ, συννοῦν γὰρ τὸ βλεμμα.

mamyoides) maxillares costas pectoralibus admovens detrahebat, ita ut totus organismus exspirare videatur. — Neque autem etiam in laetitia plane deficit flexio, (sic nasus extremus incurvatur, pulmones ridentes exspirant, palpebrae saepe paullulum connivent), ita ut jam Cartesius similitudinem ridentis cum flente intelligeret, et fortasse eam ob causam, quod gaudium propius ad sensum accedit, quam ad appetentiam, etsi profecto extensio ob ejus elationem semper praevaleat necesse est. Si laetitiam et spem recte animi calorem dicimus, contra rectissime tristitia et metui nomen frigoris animae praebendum esse videtur. Nam uti frigus in anorganicis jamjam corporibus majorem cohaesionem gignit, sicuti porro ex eadem lege in quoque organismo latus flexionis ut factorem cohaesionis seu contractionis consensuali modo corripit et somnum affert, ita in tristitia frigoris pronitas et universalis flexio corpus invadit, cum contra laetitia auctum calorem vel in universum auctam corporis expansionem producit. Nutritio hic augetur, cum in tristitia organismus magis magisque mundo subjectus existentiam propriam amittat, usque dum colliquescat in febris hectica. —

Etiam si praeterea multa de motu mimico et aliis affectibus animi magis compositis dicenda supersint, haec saltem sat erunt ad perspicuum consensum, qui inter homologos musculos et animi emotiones intercedit.

De Physiognomice.

§. 23.

Dum hucusque imagines corporis animi motus exprimentes, sed transeuntes i. e. ipsum motum mimicum consideravi; nunc reliquum est, ut easdem leges, quibus Mimica innititur, physiologicas in ipsa forma constante probando confirmem. Truncus autem minime tantum spiritum et vitam prodit, quam caput, neque potest, cum quaeque pars suorum praecipue intestinorum qualitatem edat, tametsi omnes partes iterum universalis consensus vinculo inter se jungantur. Ergo facies, caputque, si animum ex forma corporis enucleare volumus, certissime

maximi momenti in corpore pars erunt, licet procul dubio, ut notum est, etiam satis implicita. Itaque satius esse videtur animum adungere magis ad minutam faciei picturam, quam ad lineamenta belgica trunci. Forma corporis autem eandem legem sequitur, quam motus; interest solum, ut hic figatur, quod illic mobile et transitorium est. Neque solum, ut plurimi dicunt, repetito motu lineamenta fixa proveniunt, verum etiam vitâ internâ ita crystallifantur, formanturque, sicuti embryoni quoque universalis illa Flexio non musculorum actione ut in nato datur, sed vegetatione potius crystallifante ipsa, sicuti apertio floris non muscularitate, sed aucto turgore vitali i. e. aucta nutritione oritur. Non enim plane diversa haec vis nutritionis a motu musculari habenda, sed ad eam refertur, uti intestinum ad cutem seu ut arteria ad muscolum.

§. 24.

Si quid de diversis cranii ipsius formis judicare volumus, non nisi obiter fieri poterit, quia formae singulae singularum cranii vertebrarum non prius significationem certam indicabunt, quam cognita singularum subjacentium cerebri partium natura, quod vix assequemur, priusquam metamorphosis systematis nervorum per regnum animale perspecta sit. Ergo nunc temporis multiplex facies mentem et praecipue animum magis perspicue indicabit, quam cranium sola, neque cognita tubera, impressionesque praebens. Ne autem hanc partem capitis gravissimam plane neglexisse videar, saltem universe nonnulla proponam. — Quum tres habeamus vertebrae cerebrales et tres quoque, si cerebrum accurate perlustramus, evidentem inter se divisas partes reperiamus singulis vertebrae respondentem, tres etiam iis respondebunt mentis facultates principales. Medulla oblongata cum cerebello, occipitalis vertebrae ganglion, ex quo nervi motorii et auditorii decedunt et cui quartus ventriculus est, vix dubitandum puto, quin appetendi facultatem, voluntatem etc. contineat. Secunda vertebra, si ex nervo sensuali nuncupemus, oculi dicenda, et partes ejus praecipuae sunt colliculi optici, corpora quadrigemina, ventriculus tertius etc., quibus accedit basin con-

struens apophysis cerebri, quae prae ceteris encephali partibus cum Sympathico conjungitur. Qui connexus fortasse indigitat, hoc secundum Ganglion vertebrale coenaesthesi, sensui etc. esse et sicuti sensus, si accurate inquiris, quoad directionem non diversus est ab intelligentia, quam perspicuitate minore, sic ganglion medium quoque organis suis accuratius ad Hemisphaeras se applicat quam ad cerebellum et cum iis confluit, ita ut duae partes principales encephali stricte inter se distinctae formentur, quae duos mentis polos alterum expansivum (appetendi facultatem, voluntatem) in cerebello etc., alterum contractivum, ingestivum (sensum, intelligentiam etc.) in cerebro materialiter repraesentare videntur. Nam non vereor, quin anteriorem cerebri partem seu tertiam vertebriam maxime excelsis animae viribus instructam esse neges. Quid enim dilucidius hoc asserto Galli cuique esse potest, quem non fugit metamorphosis medullae spinalis, cerebrique? Tertia vertebra, in qua Hemisphaerae praecipue, ventriculi laterales, [corpora striata oriuntur, sagaci olfactui nervos praebens maximam sensus acritatem et nobilissimas mentis facultates habebit et frons excellens nobilem quoque mentem indicat. Quae si ita sunt, cranioscopia nunc quidem generalia augurare poterit, de specialioribus autem tuberibus aliquid proferre vix auderem, nisi in meras hypotheses argumentis destitutas incidere vellem.

§. 25.

Si spinam dorsi piscis consideras, recte a cauda ad nasum vergit et raro incurvationem ostendit, seu, si cum motu comparas, nulla undulata structura seu oscillationes inter contractionem, extensionemque in forma ejus fixa obveniunt. Quae oscillationes inter planitiem ventralem et dorsalem in altiore animalium typo nascuntur et quo altiorem gradum animalia assequuntur, eo magis oppositio flexionis, extensionisque prodire videtur. Si recte video, in mammalibus ambobus corporis finibus Flexio dominatur, sicuti in homine, quod in inferiore corporis sine ossis coccygis inflexione sat clarum est. Medium locum dorsalis incurvatio magna tenet, quam denique spinæ extensio in collo sequitur.

In superiore denique corporis sine spina vertebralis per cranii vertebrae iterum plane ad anteriora seu ad flexionem convertitur. In piscibus immota adhuc et recta spina dorsi eadem ratione continuatur in basin cranii nondum flexam, cum contra, emergente structurâ spinae dorsi undulatâ, etiam cranium eundem motum sequatur et eo magis antrorsum vertatur, quo nobilior animal est. Causa autem, cur coccygis os et sacrum in altioribus animalibus ad flexionis latus ventrale contrahatur, ea esse videtur, quia mortua quasi pars est et residuum caudae piscium etc., quae vigoris diminutio saepius, ut jam vidimus, flexionem comitem habet. At cranii flexioni haec causa subesse non poterit. An ipsius cerebri vita facit, ut in altioribus organismis magis magisque flectatur? An non haec flexio vertebrarum cum cerebri retracta, seque ipsam agitante naturâ consentit, an non consensualis expressio est functionum mentis altiorum, quae se tantummodo concoquentes spectant?

§. 26.

Quod de spina dorsi dictum est, idem repetitur in naso, ut extremâ capitis vertebrâ. Quo inferior enim est, eo simplicior erit, si spectas ejus formam. Dum primum in piscibus multum recedit post maxillas, paulatim, maxillis sensim magis recedentibus, elevatur et in nobilissimis animalibus super iis eminent. In infante caucasico et speciebus hominum deterioribus valde adhuc ad animalium nares accedit eo, quod obtusior et in radice admodum impressus est, seu, si cum motibus comparas, flexus et incurvatus. Quo magis ad perfectionem homo accedit, eo magis nasus etiam in radice elevatur, ita ut utrumque motum et flexorium et extensorium, repetita, quae in dorso valet, oscillatione, deinde contineat, eoque, ut spina dorsi, perfectior reddatur. In radice ergo retrorsum extenditur, deinde usque ad acumen ad flexorium latus et contractionem incurvatur, in quo finis denique placide denuo extenditur, seu dorsum versus elevatur. Tales nasi praecipue viris et caucasicae speciei sunt, cum mulieres contra aut plane rectis utantur naribus aut paullo obtusioribus et impressis, instar infantium et hominis speciei-

D

rum inferiorum, sicuti femina aliis quoque rationibus infanti multo propior habenda, quam vir. Nasus aquilinus femininam, uti infantis faciem, quodammodo irregularem reddit et nauseam quandam movet. Quod autem attinet ad cacumen nasi, regulari statu aliquantulum sursum elevatur, quod auctae extensionis, expansionisve signum necessario constituere jam antea commemoravi. Quo fit, ut juvenus praesertim tale prae se ferat sursum elevatum nasi acumen, dum deorsum contra incurvatum vultui senile quid imprimit et inprimis quoque in senectute reperitur. Causa horum phaenomenorum sine ullo dubio idem est consensus, qui ceteras vertebrae inter se conjungit. Quum enim neminem fugiat, in senectute spinam vertebralem antrorsum incurvari et univarse flexionem post decrementi vitae initium dominari, non fieri potest, quam ut superior etiam spinae extremitas i. e. nasus extremus homologum motum sequens flectatur seu incurvetur. Quare evenit, ut decrepiti senes saepe nares praebeant acutas et in acumine curvatas. Conferas e. gr. in Lavateri fragmentis (Bd. 4. p. 252.) imagines Alberti Halleri juvenis et senis, porro (p. 363.) gradationem facierum a puero usque ad senem, in quibus hanc diversitatem, consensumque, licet Lavatero haud cognitum, bene repraesentatum vides et insitari nequis.

§. 27.

Si quid de Semiotice nasi, quod attinet ad animum mentemque judicaverim, in ejus formis necesse est, ut ea repetam, quae antea in univarsum de significatione diversorum motuum in animi affectibus jamjam pronuntiavi. Praevalidentia flexionis vel extensionis formae significationem in univarsum statuit et si quandam animi directionem indicant, ex legibus antea (§. 14.) prolatis homologam significabunt, non antagonisticam. Quo fiet, ut nasus magis profiliens (quoniam extensionis majoris et vigoris expansivi signum) directionem animi expansivam, retractus contra et incurvatus (quoniam flexionis indicatio) animum in semetipsum versum seu contractionem ejus ac flexionem arguere debeat. Ergo omnes animi status, qui antea in animi emotionibus per motum

exprimebantur, hic contra statim et immoti per firmam formam homologam exprimentur, quam musculares in Mimice actiones componebant. Omnes igitur expansivi animi motus, quos infra nominavi, imprimis fauebunt naribus profolientibus; inde fit, ut radix nasi admodum profolians animum fortem, superbumque indicet 5), et aquilini nasi hac in significatione sat cogniti sunt. Porri si ad nasi extremitatem descendis, acumen magis sursum elevatum superbum, arrogantem, impudentem 6), nasutulum hominem indicare constat. Animi enim extensio, quae in retrorsum versa cervice inflexibili et in nasi radice aquilina fortitudinem superbiamque indigitat, eadem in acumine elevato levior recurrit per arrogantiam, quasi Inter-spinosus vel Levator quidam nares, ut in corrugatione narium fit, semper sursum revulsas teneat. Quare fit, ut saepius hanc resimam acuminis formam conjunctam reperiamus cum analogis formis rigidis spinae dorsii, ut in superbo Anglo, cujus rigida spina vertebralis speciem gerit, quasi palus a naribus usque ad coccygem percussus sit. Sequitur porro, ut, si alarum nasi aperturae magnitudine excellent, necessario similem animi expansionis significationem habeat e. gr. fortitudinis 7) gloriationis, superbiae, libidinis aestus 8) etc. Contra oppositas nasi structuras oppositarum quoque animi qualitatum indicium esse jam conjecturâ consequeris. Si nasus longior et profolians seu aquil-

5) *Lavater physiognomische Fragmente Bd 4. p. 258.: Oben bey der Wurzel vorgebogene Nasen sind vortreflich zum Gebieten, Herrschen, Wirken, Durchsetzen, Zerstoren.*

6) *Polemon. Physiogn. (ed. Franz.) p. 287.: αναισχυντου μεν σημεια ταδε· οφθαλμοι ανεπτυγμενοι, λαμπροι, βλεφαρα εισπεπτασμενα, παχεια· παχυπους, παχυριν, αντιον ορων, ανω τεινων εαυτον etc.*

7) *Aristotel. l. c.: οis δε οι μυκτηρες αναπεπταμενοι, θυμωθεις. Adamant. Physiognom. (ed. Franz.) p. 401.: μυκτηρας αναπεπταμενους, θυμου και αλκης μαρτυρας τιθεισιν. — Lavater l. c. Bd 2. p. 20.: An unternehmenden, warmen, kraftvollen Männern werdet ihr selten, um nicht zu sagen nie (solche) kleine runde Nasenlöcher antreffen. — In equis aliisque animalibus idem sat constat.*

8) *Lavater Bd 4. p. 258.: Sichtbar athmende, offene Nasenflügel, ein sicheres Zeichen feiner Empfindung, die leicht in Sinnlichkeit und Wollust ausarten kann.*

linus animum fortem, sperantem, superbum etc., si porro mentem externa quaerentem, observantemque portendit, contra nasus repressus et incurvatus animum, mentemque in se ipsum secedentem, philosophicam exprimet. Inde Jupiter olympicus ob magnam faciei flexionem vultum sapientiae perfectae exhibet. Inde Graeci philosophiâ, Romani aquilinis nasus instructi superbiâ, animoque imperante excelluerunt. Si in naso erecto major appetendi facultas emergit, in modice represso contra sentiendi facultatem etc. praevalere dixerim.

Cui si accedit recessio quaedam maxillarum, facies modestiae affequitur speciem, nisi reliquus vultus nimie in contractione consentiat. Sin vero ipsa nasi extremitas flectitur, ita ut in ea nulla extensio animadvertatur, quod jam in senectute incurvatâ imprimis fieri adnotavi, saepissime ipsum metum indicat, ut maximam animi flexionem. At non circumspicte judicaverim, si soli metui hoc phaenomenon acuminis incurvati attribuerem, imo non solum ceterae, quae metui affines sunt, verum omnes fortasse, quibus illa directio centralis inest, animi qualitates idem signum habere possunt e. gr. animus paullo obsequiosior, aequae ac animus subdolos et abstrusus, quare interdum in Satyricis hominibus reperitur⁹⁾. Ex eo porro evenit, ut compressae, parvaeque nasi aperturae eandem timoris etc. significationem apud physiognomicos scriptores habeant¹⁰⁾, sicuti acumen narium ad flexorium latus reflexum, quasi hîc Depressor narium continuo ageret, illic Compressor. Sed neque hoc solius timoris erit phaenomenon, sed omnes animi conditiones magis contractivae inde exprimi saltem possunt, tametsi necessario quaeque singularis faciei pars singularem habeat animum, quem motu suo et homologâ structurâ exprimet et cum quo prae ceteris con-

9) *Joannes ab Indagine, Buch der Physiognomey cap. 4.: Von der Naszen ist ein gemein, geübtes Sprichwort, dasz die Menschen, so ein gebogen, krummen Nasen haben gemeinjncklich spöttig seind und selten yemant ungespeyt laszen fürgen. — Videas porro imaginem poetae celeberrimi Hans Sachs: Lavat. Bd 4. p. 298. — In his cavillatoribus nasus incurvatus bene quoque ex risus motu derivatur (§. 22.)*

10) *Lavater Bd 4. p. 258.: Kleine Nasenlöcher beinah ein sicheres Zeichen ununternehmender Furchtsamkeit.*

sentiet; sic e. gr. radicis narium extensioni major vel nobilior fortitudo inesse videtur, quam acumini elevato nil nisi nasutulam fortitudinem declaranti. Sed haec specialia non curabo, hîc in universalibus tractandis sat fecisse puto; neque certa vix proferri poterunt, priusquam singulorum inferiorum organismi functionum repetitio in animo accuratius indagata erit.

§. 28.

Nihil autem obstat, quominus in *oculis* easdem leges confirmem, quae hucusque valebant, eoque facilius, quod, quantopere oculiloquium vivacitate ceteris faciei partibus antecellat, quisque compertum habebit. Neque solum in ipso bulbo maxima est animi mentisque perspicuitas, verum etiam in superciliis, ita ut sint, qui his majorem tribuant vivacitatem, quam ipsis oculis, et quantopere praecipue tristitiae et disharmoniae cujusque sedes sint, jam in mimica parte vidimus. Si frons transverse plicata (i. e. extensa) atque alta supercilia et inter se distantia¹¹⁾ (quasi frontali extensore semper sursum elevata expandantur) animum observantem, saepius vero dubitantem, plenumque hilaritatis etc. indicant, qui celeriter externa aggreditur, arrepta autem non pervertigat, sed expleto desiderio, alio tenetur, quem neque scientiae tenebrae, neque fati austeritas ad flexionem unquam contraxit, contra frons rugis longitudinalibus contracta, et recte descendens, profundae inter supercilia foveae flexio, supercilia depresso et conjuncta (omnia flexionis dominantis signa) nihil declarabunt, quam mentem, animumque ab externo sensuum mundo secedentem seu flexionem animae. Inde factum, ut significationes superciliorum conjunctorum, etsi variae a variis Physiognomicis prolatae, tamen omnes eo inter se convenient, quod illam animi contractionem indicant. Sic a veteribus pro signo malitiae, ab aliis pro

11) *Lavater Bd 4. p. 255.: Je entfernter (die Augenbrauen) von den Augen sind, desto leichter, beweglicher, (ununternehmender). — Entfernt von einander — heiterer, offener leichter Sinn. — Porro l. c. Ich habe noch keinen grossen Denker, auch nicht einmal einen festen, klugen Mann mit schwachen, hohen Augenbrauen gesehen, die die Stirn gleichsam in zwey Theile theilten.*

melancholiae ¹²⁾, ab aliis denique pro severitatis, altaeque meditationis ¹³⁾ indicio habita sunt. Similis significatio, ut ad nasum redeam, impressi dorsi naribus convenit, (ut e. gr. in feminis etc), quam quae in radice narium impressa et conjunctis superciliis elucet; magis enim passivam ingestionem et contractionem indigitat e. gr. patientiam, sentiendi vigorem etc. ¹⁴⁾).

Si ad palpebras descendo, in earum formis perlustrandis idem. reddit, quod infra in Mimice dictum est. Quod illic musculis producebatur, hic fixum fiat atque crystallisatum. Inde fit, ut rima palpebrarum lata, altaque eandem expansionis animi cujusdam significationem habeat, quam antea extendentis levatoris palpebrae superioris actioni subesse confirmavi. Junonis oculo bovino igitur, cujus alti sunt palpebrarum arcus, et ampla rima, tanta inest tranquillitas imperans divina ac superbia, qualem in extensione corporis in univcrsum jamjam cognovimus. Sed et sperantem, animosum, irae praecipitem ¹⁵⁾, apertum animum variis modificationibus manifestabit, praecipue autem cupiditatem, et cupiditatem quidem avaritiae perinde repraesentabit ac, si bulbus paullulum sursum volvitur, desiderium languentis Veneris Uraniac.

12) *Aristotel.* l. c. οἱ δὲ συνοσφύες, δυσάριοι; — *Winkelmann* porro ait: *Gesenkte Augenbrauen geben dem Kopf des Antinous etwas herbes und melancholiches.* — Porro *Lavat.* l. c.: *Zusammenlaufende Augenbrauen geben einem Gesicht ein etwas finstres Ansehn und von irgend einer Trübe des Geistes und Herzens mögen sie wohl Zeugen seyn.* — Huc adnumerandus quoque locus est *Joann. ab Indagine* (l. c. cap. 2.): *Und so die augenbrauen zusammenstoffszen, das ist ganz ein bösz zeychen, dann sye angeben eine tückische Art und Menschenkäußer, und der genygt ist zu der schwarzen Kunst, der teuffelbeschwerung, des habe ich oft war genommen in ettylichen vil hexen so man verbrennet.*

13) *Lavater* l. c.: *Je näher die Augenbrauen auf den Augen liegen, desto ernsthafter, tiefer, fester der Character.*

14) *Lavat.* l. c. Bd 4. p. 258.: *Ich habe die reinsten, verständigsten, edelsten Geschöpfe mit kleinen Nasen von hohlem Profil gesehn, aber diese Vortrefflichkeit bestand mehr im Leiden und Hören, Lernen, Empfangen, Genießen feiner geistiger Wirkungen (wenn nämlich ihr übriger Bau sein Organ ist).*

15) *Hippocrat. Epid.* Lib. II. S. VI.: ἀσκαρδαμύκται, ὀξύθυμοι.

Contra quando oculum compressum et angusta rima instructum videmus, statim malitiam, astutiam vel timorem etc. auspicamur, quasi nictatio timida sphinctere praevalente fixa sit ¹⁶⁾. — De Bulbo aliquid proferre fere supervacaneum esset, nam nota est generalis singulorum per musculos motuum significatio, nisi singulas partes recensere jam incepissem. Situs primum in oculos incidit aut superficialior (ut in bovino oculo Junonis), aut profundior. Ille expansionis animi habere poterit bonas et malas qualitates et ut jam pluries adnotavi, tum spem, animumque, tum superbiam, tum denique omnem cupiendi expansionem indicabit, hic, ut oppositus, contrariam animi directionem. Inde Claramontius ¹⁷⁾: „Est ille (projectio oculorum) ferventis animi aspectus ut in ira et amore. „Huic contrarius aspectus est retractus. Retrahitur enim vis, quae in „contrario aspectu emittitur, in modestis hominibus erga eos, quos re- „verentur, in pudibundis adolescentibus adversus foeminas.“ Quod ille Physiognomon soli pudori ac reverentiae adscribit, in proclivi est, praeterea multis aliis affectibus tribuendum esse, qui quantitate tantummodo vel compositione diversa discernuntur. Nam eodem jure oculus in orbitam retractus, angustusque metum, fraudemque ¹⁸⁾, quam reverentiam et pudorem ¹⁶⁾ spirabit, quia omnes vinculo directionis inter se conveniunt. Ita si hi oculi ardent, vim quidem et efficacitatem indicabunt perinde ac furiose projecti, sed profecto quodammodo diversam, sicuti ira repressa differt ab erumpente, sive ut contractio ab expansione discernitur ²⁰⁾. Et ipsa denique Iris, sicuti cum respirationis rhyth-

16) Videas *Erasmii* imaginem paullo timidioris et ex insidiis mordentis. — Porro *Lavat.* Bd 4. p. 452.: *Ich habe noch kein Auge, dessen Lid horizontal auf dem Apfel sich zeichnete und halb den Stern durchschnitt, gefehn, als an sehr feinen, sehr geschickten, sehr listigen Menschen etc.* — porro l. c. *Augen, die, wenn sie offen und nicht zusammengedrückt sind, lange scharfe spitze Winkel gegen die Nase haben, habe ich fast nie als bey sehr verständigen oder sehr feinen Menschen gefunden.*

17) *Semiotice moralis etc.* cura Conring. Lugd. 1704. lib. VI. c. 9.

18) *Aristoteles* l. c. οἱ δὲ κοίλους ἔχοντες κακοῦργοι· ἀναφίερεται ἐπὶ πρῆξικον.

19) Inde *Paracelsus* (de natura rerum lib. IX. p. 912.) ait: *Augen, die stets unter sich sehn, zeigen einen schamhaftigen, züchtigen Menschen an.*

20) *Paracelsus* l. c.: *Kleine Augen oder die tief im Haupte sehn, kühn, freitbar und*

mo homologo modo fluctuat, nonne ipsis animi fluctibus non solum volvetur, verum etiam tranquillo animo aestus vel majorem accessum vel recessum majore vel expansione vel contractione Pupillae fixum exprimet? Non dubito et sibi quisque significationem variam constituet.

§. 29.

Recurrunt eadem omnia, quae hucusque dixi et in forma nasi, oculorum etc. confirmavi, in ultima denique vultus parte, nempe in maxillis, labiisque. Quae autem partes multum faciunt ad faciei varium effectum, etiamsi, sicuti physiologice nobilitate ab oculo, nasoque etc. superantur, in significationibus quoque minus nobiles esse videntur. Superior maxilla, labiumque, quod nobilior est ob repetitionem superiorum extremitatum et quod anterioribus, ergo nobilioribus capitis vertebrae affigitur, nobiliores, subtilioresque animi qualitates indicabit, quam inferior. Quod si itaque labium superius profiliens et in medio revulsum (quasi Levatore suo extensum) nasutulum, impudicitiam, insolentiam exprimit, eadem quidem in labio inferiore profiliente et tumido auspicamur, sed insolentiam lasciviamque rusticam stulta jactatione comitante. Sequitur porro, ut appetendi facultates e. gr. sexualis libido (quam alas narium levare vidimus et quae, quod cupiditas est, extendat, necesse est) hanc tumidam labiorum formam provocent, quod evidentissime per hominis species deteriores probatur. Quanti enim et quam carnei sunt Nigris labeones et quam reflexi? Neque apud nos exempla defunt ²¹⁾.

unverzagt, tückisch und geschwind mit bösen thaten, kann viel leiden etc. — Adamantius Physiognom. (ed. Franz.) Lib. 1. p. 355.: εἰ δὲ καὶ μικροτεροὶ εἶεν καὶ κοιλοὶ, χεῖρους, ὠμοφρονες, ἐπιβουλοὶ, κρυψίνοι, παντορενταί.

²¹⁾ *Lavater Bd 4. etc.: Sehr fleischige Lippen haben immer mit Sinnlichkeit, Trägheit, Prahlerey zu kämpfen. Joann. ab Indag. l. c. c. V.: Härwider die übergroßen Leffzen haben und denen der unterleffz abwertz hangt, also dafs ynen die zen härfür blecken, die seynd von natur nährisch, störrig, ungelerfam, unrein, unkeusch. — Lavat. l. c.: Ausgezeichnete, bestimmte große, wohl proportionirte Lippen, aus denen die sich sanft auf beiden Seiten gleich schlängelnde Mittellinie leicht herauszuheben ist, — sind nie an schlechten, gemeinen, niedrigen Menschen zu fin-*

In univcrsum notum est, maxillas eo magis procedere, et latiores, longioresque fieri, eo majorem thoracem maxillarem reddi, quo bestialior hominis species et animal est, quo magis appetendi facultas et cupiditates excellunt prae intelligentia. Ergo, si universaliter dicere vis, extensio seu inspiratio in maxillis rectâ relatione augetur unâ cum parte animi extensivâ seu inspiratoriâ analogâ. Contra contenditur in univcrsum poterit, eo magis thoracem maxillarem, quasi ad expirationem veniat, contrahi et retrahi, quo magis intelligentia prae appetendi facultate excelsit. Quodsi igitur ascendente organisatione, non modo spina vertebralis capitis, verum costae etiam thoraxque ejus ad flexionem expirationemque majorem tendunt, eâdem proportione hominis spiritus secedit a cupidine ad altiores mentis facultates praecipue in se retractas et ingestivas. Quo fit, ut facies inferior, si retracta cernitur, toti vultui majorem praebeat severitatem et sapientiae speciem, quod veteres artis plasticae artifices bene perspectum habebant. Sed et vitia improporionalis recessio indicabit, eaque omnia quandam, si a priori conjicere licet, contractionis animi modificationem spirabunt e. gr. metum, astutiam, animique frigus²²⁾. Idem in labiis, quae lineae speciem habent, et compressis sat notum est²³⁾.

Si mentum denique examini subijcio, in operibus Physiognomonum eadem depressionis et repressionis atque projectionis ejus significationes obveniunt²⁴⁾; neque aliter fieri potest, cum homologae formae homologam

den, wohl aber an wollüstigen aber nicht an falschen, kriechenden, boshafsten Characteren,

22) *Lavat. Bd 4. p. 188.: Im Gegentheil wird das eingezogene Untergesicht Verschwiegenheit, Bescheidenheit, Ernst, Zurückhaltung anzeigen und alle Fehler werden in Heimtücke und Verstocktheit bestehn.*

23) *Lavat. Bd 4. p. 260.: Verbissener, lippenloser Mund, sicheres Zeichen von Kälte etc. — porro l. c. p. 188.: die platt anliegende Oberlippe verkündigt Blüdigkeit, die ähnliche Unterlippe Bedacht im Reden. — Polem. Physiognomon. (ed. Franz. Lib. I. p. 258.):* Εἰ δὲ ἐπὶ μικροῖς στομασὶ λεπτὰ εἰσι χειλῆ, δειλὸν, ἀναυδρὸν, καὶ δολερὸν σημαίνουσι.

24) *Ita Lavater aliique haec: Zurückgehendes Kinn ist selten planvoll und unternehmend. — Spitzes Kinn ist viel öfter Zeichen von heimtückischer List, als zurückgehendes. — Klei-*

E.

quoque significationem in universum saltem habeant. Ex eodem denique consensu fit, ut ipsius trunci cum capite saepissime magna reperiatur formae similitudo. Ita homines latis humeris, qui igitur latam costarum et convexam constructionem possident, saepius maxillis quoque latis instructi, ita ut facies tota inde latior et quadrata reddatur. E contrario accidit, ut homines phthificum habitum prae se ferentes, nec gracilem solum thoracem, sed et compressos humeros habentes, gracili etiam facie et longiore utantur. Idem fortasse in ipsa cranii forma evenit, ut, quibus lata est vertebrarum dorsi constructio, eadem repetatur in lato cranio, cum compressum in lateribus caput gracilioribus contra hominibus tribuatur.

§. 30.

Quae cum ita sint, generalis ille motûs antagonismus, qui tantum modificatus ubique repetitur, aequali et homologo modo cum systemate cerebri ejusque motibus incedit, et Mimice, quae scientia est de consensu inter cerebrum et musculus, seu inter mentem motumque, et Physiognomica, quae consensum cerebri cum fixâ formâ amplectitur, tantummodo huic legi innifae scientificam evolutionem assequi possunt. Quod ego hîc dixi, generalis tantum tenuisque constructio est, multumque restat, observatori, ut consensum *specialem* inter certas corporis partes, animique vires reperiatur, Physiologo autem, ut rationem hujus specialis consensus ex affinitate majore et repetitione corporis functionum in cerebro quaerat, etiamsi hoc nunc quidem paullo difficilius esset. Nam illius consensus, cujus undae a cerebro per crassum musculus usque ad fibrillam Iridis permanentesvolvuntur, specialem partem inscii sentimus quidem, sentimus in flexa facie severitatem, sentimus in

nes Kinn, Furchtsamkeit. — Contraria indicant elevatio extensioque menti. *Lavat. 2. p. 128.: Vordringendes Kinn ist immer Zeichen von Kraft, Männlichkeit, Ständigkeit, Zurückgehendes von Weiblichkeit.* — *Bd 3. p. 218.: Im aufsteigenden Kinn vom Hals her, Adel, Stolz; Bd 4. p. 264.: Hervorstehendes rundes Kinn, sitzt da nicht offenbar der Muth eines Helden?* — *Aristotel. l. c. ἀκρογενεῖσι, εὐψυχοῖ.*

superciliis conjunctis coenaesthesin offensam et in levatione anguli oris laetitiae exultationem; at scientia ipsa, rationes quaerens et evolutionem, *specialis* consensus mimici et physiognomici causas nonnisi suspicatur, neque demonstrare poterit, priusquam comparativa Physiologia latius pateat, etsi universalis, ut hîc ostendisse mihi videor, consensus vinculum clarissime liquet. —

Una natura, confluxio unica, consentientia omnia.
